

Glauber, Johann Rudolph. *Tractatus de signatura salium, metallorum et planetarum, sive Fundamentalis institutio, evidentissimè monstrans, quo pacto facillimè non solùm salium, metallorum, atque planetarum, fed etiam appellationum, & nominum ipsis impositorum vires, significatio, natura, & proprietates, non ex libris, aut scriptis, sed nudâ ipsorum signaturâ, circuli & quadrati ope, cognosci, addisci, & supputari queant. In gratiam eorum, qui miraculorum divinorum contemplatione utilissima & maximè necessariâ delectantur, opusculum conscriptum, & in lucem editum a Joanne Rudolpho Glaubero.*

*Amstelodami, apud J. Janssonium, M DC LIX., 1659.
Cote : BIU Santé Pharmacie 11364(6)*

Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé (Paris)

Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?pharma_011364x06

TRACTATUS
DE
SIGNATURA SALIUM,
METALLORUM,
ET
PLANETARUM,

Sive

Fundamentalis Institutio, eviden-
tissimè monstrans, quo pacto facillimè non
solùm Salium, Metallorum, atque Planetarum,
sed etiam Appellationum, & Nominum ipsis impo-
sitorum Vires, Significatio, Natura, & Proprie-
tates, non ex Libris, aut Scriptis, sed nudâ
ipsorum Signaturâ, Circuli & Qua-
drati ope, cognosci, addisci, &
supputari queant.


*In Gratiam Eorum, qui Miraculorum Divinorum con-
templatione utilissimâ & maximè necessariâ delectantur,
opusculum conscriptum, & in lucem editum*

A

JOANNE RUDOLPHO GLAUBERO.



AMSTELÆDAMI,
Apud JOANNEM JANSONIUM,
cId Idc LIX.



A D
L E C T O R E M
B E N E V O L U M .



Icterium est vulgare ; Cave tibi ab illis, quos Natura notavit : Verum illud quidem, si Naturæ abortus, & præternaturalibus signis notati homines intelligantur ; De cæteris autem rebus falsum est. Omnipotens enim Deus omnes suas Creaturas, magnas, æquæ ac parvas, notis suis certis insignivit, & quasi picta lineamenta hominum oculis subjecit, ex quibus cognoscant, quæ cujusque sit natura, & proprietas, & quid commodi atque utilitatis Humano Generi conferre possint. Hinc non modò omnia Vegetabilia, ut herbas, frutices, & arbores, sed etiam Animalia, ut bestias omnis generis, imò & hominem ipsum, in terrena superficie commorantes, in aquis habitantes pisces, & aves aëris incolas; quin etiam cuncta mobilia juxtà cum immobilibus, formis, & figuris peculiaribus signavit, his ipsis signis nobis significaturus, quem usum quævis herba, quodvis animal, quævis avis, & quivis piscis habeat, & cui rei inserviat. Est verò hæc Scriptura Divina, Divino digito cunctis rebus inscripta, ex qua omnium rerum Natura nobis addiscenda fuisset.

Posteaquam verò homines magis ac magis à

A 2

sua

sua humana, ad brutalem Naturam desciscere cœperunt, ac tam nobiliſ Signaturæ rationem habere deſierunt, Brutales ſuos conceptus, Divinis operibus, & Signaturæ omnibus rebus à Natura inſitæ poſthabentes, uſu venit, ut temporum decurſu longiore vera illa Signatura, ſive Scriptura Divina gradatim obſcurata perierit, ac penitus evanuerit, adeò ut pauci admodum hoc ſæculo reperiantur, qui aliquâ tantæ ſcientiæ notiâ imbuti ſint. Nam plæraque hominum pars librorum & ſcriptorum ſolent ductum ſequi, atque ex ipſis omnium rerum virtutes, & proprietates addiſcere ſtudent. Nec ſtudioſum hoc improbari poſſet, ſi nobis vera, incorrupta, & integra Veterum & experienciâ ſingulari nobilium Autho-
rum ſcripta ſuperceſſent. Enimvero quia ſerie annorum longâ frequentes illorum deſcriptiones, emendationes, & interpretationes illa eo pacto corruerunt, ut vix veri quid in ipſis invenias; longè proſectò fatius eſſet, ut mutila & corrupta ejuſmodi ſcripta tanti non fierent, ſed potius vetuſ illud à Deo poſitum fundamentum, cui omnia illa ſcripta, omnes characteres, & omnes ſignaturæ innituntur, ortumque ſuum acceptum ferunt, ex tenebris in lucem ruruſ produceretur, & ex eo omnium rerum proprietas, & natura addiſceretur. Vera hæc via eſſet ſine tot erroribus breviori temporis ſpatio ad Naturæ cognitionem perveniendi, ad quam falſis illis ſcriptis pervenire plurimis annis non licet.

Quæ-

Quærat forſan aliquis , ubi antiquum illud , & à Deo locatum fundamentum quæri debeat , aut inveniri poſſit ? Ubique , ajo , utpote unicuique , antè oculos verſans , atque cumprimis in cœlo ſe exhibens , ubi Sol , Luna , & Stellæ omnes in rotunda figurâ a Deo conſtitutæ ſunt , nobis ſignificantes , quod ex rotundo Circulo omnes formæ , & omnes figuræ ortum ſuum capiant , ipſaque rotunditas , ſive circulus , tanquam perfectiſſimum quid ad Cœlum atque Deum ipſum pertineat. Apud Veteres certè poſitum in more fuit , ut rotundo circulo cuncta iſta deſignarent , quæ nec numero comprehendere , nec voce pronunciare , nec ingenio concipere poterant , ac è contrario quadratâ figurâ notarent ea , quæ nec captum , nec ingenium , nec numerum excedebant. Circulo autem cœleſtia , & captum humanum ſuperantia , Quadrato contrâ ex Circulo prodeunte viſibilia , terrena , & captui humano ſubjecta denotarunt.

Quamquam etiam iidem Veteres Philoſophi Circulum Deo ſoli attribuentes in ea verſati ſunt opinione , Deum nullâ re aptius depingi poſſe , niſi circulo , ut Deus ipſe , initium & finem nullum habente ; nihilominus tamen omnia ea , quæ poſt Deum magni fecêre , Circuli quoque ſigno inſigniverunt : Solem nimirum in Firmamento , & Aurum in terra ; prioremque nonnulli iſtorum Philoſophorum ipſum Deum eſſe opinati ſunt. Alii ex Philoſophis illis Ethnicis Deo affinxerunt

A 3


effigiem

effigiem Serpentis , se in rotundum Circulum incurvantis , & terrena cuncta , ex cœlesti origine producta Quadrati Figura , & ita Cœlestia , & Terrestria Circulo & Quadrato simul adumbrant.

Prout igitur observarunt , quantum in rebus signandis vel Cœlestis vel Terrestris naturæ esset, tantum etiam ex circulo & Quadrato aut addiderunt, aut subtraxerunt, ac figuras pro eo etiam variarunt. Non solum autem in Cœlestibus Luminaribus , Sole puta, Lunâ, & cæteris Planetis, sed etiam in omnibus terrestribus Creaturis , in terra Solis, Lunæ, Planetarum cæterarumque Stellarum operationibus, productis, Auro nimirum, Argento, Cupro, Stanno, Ferro, Plumbo , atque Argento Vivo , signandis ejusmodi modum adhibuerunt, omnes ejusmodi characteribus , & signis notando , quibus Cœlestia Luminaria , inferiorum harum creaturarum causas efficientes , notavêre. Sic Sol & Aurum Terrestre, perfectissimæ Dei Creaturæ Circuli , punctum aut centrum in medio habentis, insigne gerunt : Luna & Argentum dimidii circuli seu duorum semicirculorum haud longè à seinvicem distantium figurâ apparent , & sua corpora non absolutè perfectâ esse, sed aliquo saltem defectu adhuc laborare arguunt: Cæterorum Planetarum signa , ut ♄, ♀, ♂, ♃, & ♄, etiam cæterorum Metallorum sunt signa, Plumbi nempè, Stanni, Ferri, Cupri, & Argenti Vivi, quippe Auro & Argento multo viliorum, & imper-

imperfectiorum, atque imperfectioribus characteribus notatorum, quales sunt ex dimidio Circulo, & dimidio Quadrato, significantes, vix dimidiâ parte ipsa Argento, & vix una quarta parte perfectionis Auro respondere.

Clarius rem ut proponam, operæpretium duxi Luminarium illorum cœlestium, ut ☉, ☽, ♀, ♂, ♄, & ♀, & Terrestrium Metallorum, ut Auri, Argenti, Argenti Vivi, Cupri. Ferri, Stanni, & plumbi characteres, quales ipsis Veteres Astronomi & Philosophi imposuerunt, quadratis eâdem magnitudine constantibus includere, ut ex ipsis appareat, quibus à seinvicem perfectionis gradibus distent.



Hic quasi domunculis inclusæ sunt Characteristicæ illæ signaturarum Figuræ, quadrato domunculæ vicem gerente, cui Solis seu Auri signum littera B. notatum, circulum videlicet rotundum si

A 4

impo-

imposuero, quatuor partibus 1. 2. 3. & 4. numero signatis quatuor latera quadrati attinget, & cum complebit, inter Cœlestes & Terrestris creaturas Solem atque Aurum cæteris omnibus perfectione suâ præstare significaturus.

Lunæ sive Argenti signum sub literâ C. tria quidem Quadrati latera attingit, superiore nimirum Cornu sui apice numero 1. superius, & inferiore numero 3. inferius latus, tergi verò curvitate numero 2. tertium latus. Quartum numero 4. ob incurvatam superficiem concavam attingere nequit.

Mercurii character sub litera D. si quadrato imponatur, utroque cornu superius latus numero 1. & apice crucis inferiore inferius numero 3. tangit : reliqua duo latera numero 2. & 4. intacta relinquit, ita ut quadrati dimidia pars à Mercurio intacta maneat ; Luna ejusdem tria latera attingat, & Sol, atque Aurum quatuor seu omnibus latera contigua sint.

Venus sive Cuprum sub litera E. etiam duobus tantum sui quadrati lateribus adhæret superiori nimirum numero 1. & inferiori numero 3. notato : Cætera duo latera numeris 2. & 4. insignita ab ejus attactu libera manent. Pari ratione & Mars cum Ferro superius tantum & inferius latus tangunt, ut sub litera F. videre est. Sic etiam Saturnus sive Plumbum literâ G. & Jupiter sive Stannum literâ H. significantur, & tantum duo suorum quadratorum latera tangere cernuntur.

Ex

Ex appositâ Figura igitur videre est , quo perfectionis gradu Metalla seinvicem consequantur, adeò ut nullum errorem committere possit , qui in gradibus dictis discernendis hanc figuram respexerit. Veteres nec casu , nec frustra ejusmodi characteres adhibuerunt, sed totam signandi rationem eò direxerunt , ut Signum cum Natura & proprietate signatæ rei exactè conveniret , sicut ipsa inter Luminaria cœlestia sive Planetas , & Metalla insignis convenientia clarè manifestat. Non tamen hæc cunctis in oculos incurrunt , sed iis tantum , qui oculis præditi sunt Metallorum Naturam perspicere , & ex notitia Metallorum, quam habent, perfectionis gradus dictos dignoscere valentibus. Quantum enim in Characterè rotunditatis se conspiciendum exhibet , tantum etiam perfectionis & puritatis in signato corpore reperitur. Quantum autem ex quadrato adfuerit, tantum etiam imperfectionis accessit. Axioma autem hoc est, & præceptum Chymicum infallibile omninò , & adeò certum , ut qui in Metallorum emendatione ejus ductum sequutus fuerit, haud facile errorem commissurus sit. Aurum ex Metallis perfectissimum Quadrati latera quatuor attingendo perfectionem suam eximiam arguit ; Argentum à perfectione Auri non longè abest. Ex cæteris autem Metallis Argentum Vivum, Ferrum, & Cuprum, dimidium, Plumbum autem , & Stannum quartum tantum perfectionis gradum consequuta sunt.

A 5

Sed

Sed instruendis tantæ cognitionis desiderio flagrantibus hæc pauca sufficere arbitramur. Qui plura de his Cœlestium Luminarium , & Terrestrium Corporum signaturis Harmonicis cognoscendi cupiditate tenetur , accuratiori examini Fundamentum hoc , quod paucis hîc innuimus , subijciat , ea inventurus , & comperturus , quæ Aristoteli olim ignotissima , & hodiernas quoque scholas nostras penitus fugiunt. Verissimum hoc asserere audeo , Veteres in Ægyptiorum Scholis maxima mysteria signaturarum characteribus occultasse , & non solum his Soli , Lunæ , stellis ac Metallicis corporibus impositis signis , sed etiam nominibus ipsis , quæ cunctis indiderunt maxima secreta manifestasse , idque casu non esse factum , ut huic subjecto tale , illi aliud nomen imposuerint. Ex quo autem tempore nomina plurima posterî mutauêre , inde contigit , ut in magnam incertitudinem signatura illa abierit , & multis dubiis jam fluctuet. Nomina ab Adamo , Noacho , posterisque ipsorum quæ apud Ægyptios , Chaldæos , & Hebræos in usu fuêre , & forsan adhuc sunt , rebus imposita Græci quoque in usum adhibuerunt , & ex eodem fundamento debitis , & veris appellationibus res nuncuparunt. Eas ad se derivatas Latini non animadverterunt , nec curaverunt , licet unicum in ipsis , & verum fundamentum omnis secretorum illorum investigationis locatum sit. Equidem Ægyptiæ , Chaldææ , & Hebraicæ linguæ
ignarus

ignarus & rudis nomina illa, eorumque signaturam interpretari nescio. Earundem linguarum peritus, & aliqua Luminis Naturalis cognitione dotatus, talibus investigandis & explorandis operam impendendo, prudenti inquisitione compertiet veritatem eorum, quæ hîc scripsi, quod nempe omnium rerum Natura, & Proprietas nominibus & characteribus ipsorum nobis ob oculos posita sint. Dilucidior explicatione rem expediam, & Circulum ac Quadratum paucis exponam. In præcedenti de Naturâ salium opusculo satis clarè docui & demonstravi, cuncta in Mundo sali & soli originem suam acceptam ferre. Circulo solem, & Quadrato salem Veteres designarunt. Sicut verò Circulus primò ducitur, antequam ei Quadratum imponatur, & etiam Circulus jure Quadrato antefertur, utpote hujus origo, eodemque eo nomine potior: ità etiam sol præferendus est sali, cui ortum dedit, & quem existentia suâ præcessit; Hic verò cum sole origine suâ, comparatus in minore censu habendus est: Hinc sine sole sal, & sine sale sol nihil generat, & producit, ac utriusque solis nimirum maris munus obeuntis, & Salis fœminæ vices gerentis conjunctio in omni generatione & productione necessariò requiritur. Sic Fœmina Eva tanquam Quadratum ab Adamo tanquam Circulo exorta est, & ex utroque, Circulo nimirum & Quadrato conjunctis, Humani Generis fertilitas & propagatio originem suam traxit. Propagatio-

gationem hanc Veneri Poëtæ attribuerunt, signoque notarunt composito ex Circulo & Quadrato, ac memoriæ prodiderunt, Deam Venerem ex spumâ Maris & sale natam, solaribusque radiis exsiccatam fuisse.

Insigne Veneris accuratâ mentis consideratione expendatur, admodum perspicuè docens, quàm sapienter, & prudenter à Veteribus Naturæ mysteria suis signis adumbrata fuerint.

Rotundo Circulo Venus signatur, cruce ad Circulum appensâ; Circulus solem, & crux sallem notat. Nam quando quatuor lineæ finibus suis extremis junguntur, crucem efficiunt, finibus singulis in unum punctum concurrentibus. Sin verò omnes istæ lineæ in quadrum dirigantur, Quadratum formant. In rebus ergò signatis Crux & Quadratum nonnisi externâ figurâ differunt, & re ipsâ unum & idem significant.

Ut melius mysterium hoc apprehendi queat, utriusque harum Creaturarum Dei maximarum, solis puta & salis, à quibus omnes res proficiuntur, secundum Latinas suas significationes *S O L* & *S A L*, veram signaturam ipsis à Veteribus attributam interpretabor, ut evidenter pateant gradus nobilitatis, & bonitatis, quibus inter se distent. Quò plures enim in his vocabulis circuli conspiciuntur, eò plus puritatis & bonitatis rebus, quas notant, inesse arguunt. Quò plura vero Quadrata vocabulo adsunt, eò plus terræ,

terræ, imperfectionis, & impuritatis rei signatæ adesse commoſtrant. Axioma autem hoc in iis tantum vocabulis locum habet, quæ à veteribus cuius rei impoſita ſunt, in cæteris non item.

Cum igitur extrà omnem dubitationis aleam poſitum ſit, quod hæc duo vocabula ſol & ſal à Veteribus ſecundum veram ſignaturam rebus, quas ſignant, indita ſint, ea porro explanabimus.

Primò autem hîc notandum, quod omnes formæ & figuræ Vegetabilium, videlicet Arborum, herbarum aliarumque ex terrâ naſcentium rerum, ut & Animalium, ſive hominum, ſive beſtiarum, atque ipſorum Mineralium ex ſolo Circulo & Quadrato originem ſumant, adeò ut ex ipſis, quæ rotunda aut longa ſunt in omnibus membris, & corporibus, cognoſci poſſint. Hominis enim corpus, ut & arboris truncus non ſolum rotundam ſed etiam oblongam obtinent figuram, eâdemque figurâ cuiusvis digiti articulus, frondesque ac rami ipſarum herbarum & arborum conſpiciuntur, ità ut in ipſis paſſim Circulus & Quadratum reperiantur. Non ſolum verò omnes creaturæ Dei eâdem ſignaturâ notatæ ſunt; Verum etiam omnes ſcripturæ & literæ ab Adamo, Noacho, eorumque poſteris profectæ ex Circulo & Quadrato exordium cœpère.

Exemplo ſunt Latinæ literæ ab initio uſque ad finem, quas omnes ex Circulo & Quadrato compoſitas deprehendes. A. duas lineas & dimidiam

diam Quadrati continet. B ex duobus semicirculis, & unâ Quadrati lineâ constat. C. est Semicirculus, D. Semicirculo & una Quadrati lineâ absolvitur. E. Quadrati tres lineas & dimidiam habet : F. Duas & dimidiam ejusdem. G. Literam semicirculus & dimidia Quadrati litera componit. Atque sic deinceps usque ad ultimam Alphabeti literam, ità ut omnes, quotquot etiam sunt, ex Circulo & Quadrato à Veteribus combinatæ posteris mysteria illa significandi & adumbrandi causâ relictæ sint.

Cum igitur in præcedente opusculo de Naturâ salium, solem & salem omnium rerum principium esse, evidenter demonstraverim operæ præ-tium duxi, duo ista vocabula, SOL, & SAL secundum naturam suam interpretari, & probare, quod omnium rerum verum principium verusque finis existant.

Inter utrumque vocabulum SAL, & SOL, nullum aliud intercedit discrimen, nisi in voce, sal, media litera Alpha, & in alterâ, sol, media litera Omega, quibus duabus Johanni se Christus manifestavit. Initialis autem & finalis litera utriusque voces similes, aut eadem sunt, vocemque utramque literæ intermediæ Alpha, & Omega discriminant, idque non immeritò, & non sine magni momenti ratione. Nam ut SOL ab initio SALEM generat, & cuncta, quæ sunt, eidem suam originem acceptam ferunt : Ità & finis omnium rerum continget novissimo illo die, quo cuncta ex
fale

fale nata & orta à sole & Igne rursus confumentur, ut Petrus scribit, nempè quod sol, Luna, & stellæ omnes de cœlo delapsuræ totum terrarum orbem in favillas & cineres redacturæ sint. In **Sole** igitur & **Sale** principium & finis omnium rerum perfectè cernuntur. Nec tantum Principium & Finem omnium rerum, ipsumque terrestris, & caduci Mundi interitum hæc duo vocabula nobis ob oculos ponunt, sed etiam totum SS. Trinitatis mysterium, Deum patrem puta, Filium & Spiritum Sanctum manifestant, & patefaciunt, quod quam clarissimè oculis subjicere possem.

Sed quoniam doctissima illa, ipsius Naturæ fundamentis innixa Schola Ægyptiaca evanuit, & Sophistici ludi è contrario invaluere, qui vanissima loquacitate suâ Veritatem penitus oppresserunt, & in exilium ejecerunt: fieri facile posset, ut crabrones irritarentur, si talia in lucem publicis scriptis protraherem, quæ imperitæ doctorem turbæ cognitionem fugiunt. Itaque satius est tacere, quam litibus non necessariis se ipsum impedire.

Alios vero etiam fuisse, qui mysteriorum sale occultorum non fuere nescii, ut videamus, consultum mihi visum fuit in fine hujus dissertationis subiungere sententiam docti cujusdam Viri Græcam vocem *αλς* cap. 13. lib. 4. explicantis, & quasi in conspectum deducentis maximum mysterium Dei eodem occultatum, ut ita ad ejusdem

dem Scriptoris librum doctissimum de Sale legendum invitemur , ut quippe continentem quamplurima lectu dignissima , lectionis quorum neminem tædebit , aut pœnitebit. Scriptori nomen est Bernardini Gomeſii , Scriptumquè ipsum Francofurti anno 1605. in lucem prodiit, dignum fanè , quod ab unoquoque legatur , eo nomine etiam illis , qui boni quid addiscere cupiunt , à me studiosè commendatum.

Ad propositum rediens seriò affirmo, Metallorum Naturam , & proprietatem non solum ex Signatura ipsis à Veteribus Philosophis assignata, sed etiam ex ea , quam ignis in ipsa introducit, apertè cognosci & addisci posse , & Signaturam hanc ab igne profectam Philosophorum Signaturæ illi longè præferendam esse. Non tamen ideò, quod Ignis Elementum majori polleat authoritate, quam omnes Philosophi unquam polluerint, aut etiamnum polleant, aut pollere possint. Sed eâ de causâ, quia ignis semper immutabiles edit actiones , & nullos errores committit, aut committere potest, si modò ipse operator , qui Ignem tractat, ab operandi modo non deviaverit; Quovis enim tempore uno eodemque modo Metallorum Signaturas commonſtrat.

Igni hoc datum est , ut, quandocunque volumus, Metallorum occultam Naturam, & absconditas proprietates singulari signaturâ nobis conspiciendas & cognoscendas exhibeat. Quemadmodum enim Spiritus aliquis Vegetabilium Ardens,

dens , aut Sal Vini Volatilis hauſtu abſorptus in hominibus Naturam & proprietates ipſorum excitat , & oculorum conſpectui exponit ea , quæ homo aliquis in reſſu habet , & quæ non innotuiſſent , niſi calidus Vini ſpiritus eadem expulſiſſet , & manifeſtaſſet : Ità etiam cum Sale comparatum eſt , qui , ut in præcedente de Salium Naturâ tractatu docuimus , poteſtatem & facultatem habet Metallorum Naturam excitandi , & Medicinales eorum virtutes manifeſtandi. Ignis verò , de quo hîc agimus , eorum perfectionem oculis noſtris ſubjiciendi facultatem obtinet.

Sicuti enim Spiritu Vini puro Hominis Spiritus vitalis mox recreatur , & expergeſactus conſeſtim Signaturam , cordis penetralibus intimis abditam , prodiſt ; adeò ut Sanguineus cantet , ſaltet , ludat , & amoribus occupetur , Cholericus in lites , rixas , & pugnas prouat , Phlegmaticus deſeſ ſomno indulgeat , & Melancholicus ſpeculetur , meditetur , aut ploret. Has Signaturas Spiritus Vini ex intimis hominum adytis eruere , & elicere novit.

Eâdem omninò ratione Metallorum Signatura expergeſcit , excitatur , & educitur Ignis operatione , quando nimirum in catino , aut crucibulo Metallâ liquantur. Mox enim & ab initio fumus ex ipſis exiens cujuſvis naturam & proprietatem indicat. Aurum purum , & ab omni additione liberum nec quidquam fumi emittit , cum Sale fuſum purpuream reddit exhalationem : Argentum , quan-

B

tūmvis

tumvis purissimum semper aliquid fumi cœrulei, amari, & Injucundi exhalat. Cupri fumus viridis est, & fœtet : Ferri non tam multum, quàm Cupri, qui ruber etiam fœtore suo nasum ferit. Plumbum & Stannum fœtentem, venenatum & album exspirant halitum : Argentum Vivum totum quantum venenato fumo abit, & evanescit. Atque hæc fumorum signa sunt, quibus liquata metalla, quando non commixta sunt, à se invicem distingui, & dignosci solent. Ut primum vero Cupri, aut alius alicujus Metalli imperfecti parum Auro, vel Argento admixtum fuerit, fumus confestim mutatus probam, sive examen dubium & incertum reddit. Metallorum tamen perfectionem dijudicandi per Ignem, omnium hoc est perfectissimum, & certissimum experimentum, si Igne admodum forti ità liquentur, ut in catino se moveant, & quasi in gyrum vertant. Quò autem hic motus rotundior fuerit, & altius se eleverit, eò perfectiora Metalla adesse innuet : Depressior, & æqualiore, seu planiore superficie subsidens argumento erit, parum illis Metallis liquatis inesse perfectionis. Facili negotio hujus rei fit periculum, quo comperitur, Aurum inter cuncta Metalla maximè rotundo, seu Spharico motu in catino moveri; Proximum huic esse Argentum, huic succedere Cuprum, Cupro Ferrum, Ferro plumbum, & post hoc ultimum sequi Stannum. Eandem perfectionis & imperfectionis differentiam commonstrat liquati Metalli effusio
in

in lapidem Porphyrium, aut similem alium probe lævigatum, & aheni aquam continenti ita impositum, ut ejus superficiem Metallum effusum excepturam aqua non attingat. Hoc itaque in dictum lapidem effusum in quàm plurima diffilit grana majora, & minora, ac rotundiora, aut minus rotunda, prout Metallum purius vel impurius fuerit. Ex omnibus autem Metallis nullum imperfectius est Stanno per effusionem in ejusmodi lapidem rarè admodum, granorum instar, se dispergente, sed, si dextrè effusio ista administratur, in latitudinem se dilatante, & in formam admodum tenuem, chartæque scriptoriæ simillimam abeunte, adeò ut chartæ instar ad scribendum, & literas stylo pingendas aptari, complicari, obsignari, & more aliarum literarum atramento scriptarum ad alios mitti possit. Talibus literis ex Stanno confectis nulla aqua nocet, ideo necessitate postulante utilissimis futuris, si clandestinis literis aliò missitandis opus fuerit.

Ut autem Stannum in bractæas adeò tenues se diffundat, & in grana Auri & Argenti more non diffiliat, in causa est imperfectio, quam & supra posita ipsius Signatura satis evidenter arguit, parum rotunditatis continens, & maximam sui partem ex Quadrato desumpta.

Perfectionis Metallicæ cognitio acquiritur etiam ex rotunditate motus Metallici in Examine Saturnino, seu separatione, quæ fit per Plumbum in Cupella, ubi Aurum præ cæteris omnibus

B 2

Sphæ-

Sphæricâ rotunditate bullit , & , Plumbo omni Igneâ violentiâ per fumum ejecto, in ipsa Cupella puro, rotundo , aut Sphærico corpore remanet, cum primis si nimis multum Aurum non adfuerit.

Argentum corpore suo rotundo, quo remanet, Auro non respondet , Cuprum tamen rotunditate superat, quod nonnunquam etiam purum & rotundum manet, si ejus parva fuit portio.

Ferrum & Stannum Plumbi examen per Cupellam non admittunt , sed huic indurato omnem fluxum adimunt , ut in pulverem combustionem redigatur.

Argentum Vivum ab igne penitus in aërem expellitur , in quo tamen perpetuum fluxum servante , atque ita frigido perfectionis Signatura animadverti potest , quod perfectione suâ præter cætera imperfecta Metalla ad Aurum & Argentum proximè accedat. In parva enim grana diffusum currendo rotundum aut Sphæricum corpus exhibet, atque Aurum liquefactum imitatur, adeo ut non sine ratione Veteres in Signatura ejus depingenda, Solis , Lunæ, & Quadrati signis usi fuerint. Intus profecto, totum quantum, purum putum est Aurum, & Argentum, si coagulatur, quod verissimum mihi experimenta plurima per Aquas Gradationis, ut vocant demonstrarunt. Experimenta inquam , quæ parvis instrumentis absolvi, magnis hætenus , & prolixâ copiâ absolvere non potui. Si libido idem tentandi juniorem aliquem incess-

incefferit, periculum faciat, si volet, & inprimis caveat, ne aquis corrosivis & mordacibus utatur, atque hoc pacto Argentum Vivum fugacius reddat.

Verum Sulphur quærat, & agnoscat oportet, quod si rubrum fuerit, rubro etiam vinculo vinciet: Album verò itidem constantem suum colorem servabit, & albo vinculo ligabit; aliàs in fugam se dare solet.

Pauca hæc Divinæ Metallorum & Planetarum Signaturæ Studiosis quin significarem, intermittere non potui. Cujusvis est in hujus scientiæ exercitio ingenii sui vires occupare, ut mirarum rerum gnarus fiat, inprimis earum, quæ in Vocabulis latent, impositis ipsis rebus Signatis à Veteribus, qui maxima secreta tam Cœlestia, quam terrestria invenerunt, & iisdem comprehendunt. Nonnulla talia Veterum vocabula hîc interpretatus fuisset, ni in eorum interpretatione mihi fuissent eliminanda, quæ Vulgò ignorari, eaque de causâ silentio præterire satius est. Qui tantæ scientiæ operam dare vellet, rerum multarum mirabilium compos fieri posset. Sed de his satis: Fundamentum in præsentia locasse sufficit: Cætera ei relinquo, qui quærendi studio incensus animum suum ad hanc cognitionem acquirendam appulerit: Si viam regiam ingressus fuerit, plura quàm quæret, aut cupiet, inveniendo sibi comparabit.

Montes quin etiam, & Sylvæ ac Regiones
B 3 signa-

signaturis suis non solum à Deo sibi concessos thesauros , & divitias donatas indicant , verum etiam suæ fortunæ ortus, incrementa, & interitus prædicere & innuere solent.

Reliquum est , ut & Salium Signaturas paucis excutiamus , & videamus , quibus signis à Deo signati sint , & quibus item suas proprietates , & naturam significent. Proculdubio suis insignibus insigniti sunt , cum primis vero ipse Sal Vulgaris, qui cur non haberet Signaturam suam , cum omnium aliarum rerum origo existat ? Nulla adeò vilis herbula , nullusque vermiculus adeò abjectus reperitur, qui suis notis à Deo datis careat, quibus naturam, ac vires suas oculis nostris expositas nobis patefaciat. Superius indicavi Solem Circulo, & eidem imposito Quadrato Salem designatum esse : In Sole verò & Sale omnes orbis Terrarum res, ut Vegetabilia, Animalia, & Mineralia generationis , propagationis , & augmenti initium & finem habere : Omnibus etiam ex Sole & Sale ortis rebus à Deo Omnipotente certam esse Signaturam inditam, ex qua ipsarum natura , vires, virtutes & proprietates agnosci queant : Nec hoc solum asserui, sed etiam affirmavi, cuncta linguarum , & vocabulorum mysteria per utrumque signum, Circulum puta & Quadratum investigari, & agnosci posse.

Hæc adeò vera & certa esse , ut omnem refutationem rejiciant , unicuique fidem faciam unico saltem argumento hîc adjecto , quod vel simplicium

cium puerorum captum non superet, si Invidi illi ignorantia Fratres nimia sua superbia elati intelligere illud petulanter detrectent. Circulo Solem convenienter & appositè signatum esse nemo inficiabitur, quia alia figura nunquam se conspiciendum exhibet, nisi Sphærâ igneâ, & rotundâ, quod Signum à Veteribus Soli attributum usque ad hodiernum diem superstes manfit.

Salem Veteres etiam Quadrati notâ insigniverunt, quæ longi temporis progressu, & hominum negligentia evanuit, adeò ut quisque pro lubitu & arbitrio Salium Species notaverit, hic hoc, alius alio modo; atque hâc occasione ferè apud unumquemque Chymicum peculiares inveniantur characteres, quibus unus non eo, quo alter, pacto utitur. Plærumque autem hodierno die apud ipsos in more positum est Sales sequenti pacto signare. Vulgaris & Culinarius Sal Circulo pingitur transversâ lineâ secto: Salpetræ Circulo ovi formam representante, & secto lineâ ex superiore in inferiorem apicem ducta. Quisnam verò his Salibus ejusmodi notas affixerit, mihi non constat, nec multum refert, sive quis sciat, aut nesciat: Proculdubio homines fuère, qui Sales ad summam puritatem deductos nunquam viderunt. Vulgares enim Sales, ut ubique reperiuntur, propriam suam figuram & formam non habent, quam habere debent, ac post summam suam mundationem nanciscuntur. Sic Vulgaris ille, & simplex Sal, ut ex Mari, aut

fontibus Salis, vel fodinis conficitur, veram ac propriam suam signaturam non habet, nec etiam ob multas suas feces terrestres habere potest. Postquam verò cunctis fecibus remotis summam puritatem & munditiem adeptus est, suo vero signo, nimirum Quadrato in conspectum prodit, & quod sibi signum debeat, demum indicat. Hoc à Veritate alienum non esse demonstravi jam in opusculo meo de Natura Salium, ubi docui, quo pacto quivis Sal Culinarius & Vulgaris ita purgandus sit, ut non amplius squamosus, turpis, obscurus & astringens, sed in parvis micis, æquè atque magnis frustis, clarus, instar Crytalli pellucidus, sapore suavis, & figura quadratus aut Cubicus existat, & quòcunque etiam projectus supremâ superficie semper quatuor angulos quadrato similes, & quasi secundum artem Circino formatos exhibeat. Hâc formâ purissimâ prodiens ita Mortales alloqui videtur: Hic formam meam veram & naturalem videtis à Sole Patre meo mihi in corpore aquæ, Matris meæ datam, & concessam; quam terra quidem aspèrâ, & vili veste cooperuit, sed ars rursus (Deo sit laus) detrahit, formam pristinam multorum ægrorum commodo futuram mihi restituendo. Sicut igitur ab initio creatus sum, ita & nunc in medium prodeò, sine impedimento ea præstiturus, ad quæ efficienda Creatio Divina me destinavit. Si Sol in Firmamento casu ita deturparetur, & corrumpere, ut lumen suum amitteret, fieri neutiquam

quam posset, ut aliquid vivi vel per unum diem in orbe terrarum superstes maneret. quod ipsa experientia nobis commonstrat, quando Luna per horam tantum inter oculos nostros & Solem intercedens ejus radios ex nostro conspectu eripit; quo in casu ipse Sol neutiquam patitur, nec ullo modo corrumpitur, sed tantum impeditur, quò minus parvo illo tempore radios suos vivificantes ad nos transmittat. Quod si igitur tam parvum impedimentum in Orbe Terrarum tot morbos, aliaque incommoda hominibus causeret, quidni & feces Salem obscurantes, ac naturalem ipsius formam cooperientes, & ignobiliorum reddentes ipsius viribus & virtutibus impedimento & detrimento essent? Unusquisque judicet, si crassus atque impurus Sal omnibus hominibus & bestiis tantum commodi affert, quidnam emolumenti ipsis allaturus sit, si ad summam sui corporis puritatem redierit.

Quandoquidem igitur Generis Humani maximè interest, ut purissimo ejusmodi Sale fruatur, ejus copiam secundum præscriptum in meo de Naturâ Salium Tractatu purgandi modum parare statui, ut plurimorum commodo inservire queam.

Cæcis Mortalibus oculos tenebris coopertos tandem apertum iri spero, ut videant, quàm longo temporis intervallo à cæcis ductoribus seducti sint, & hoc comperientes tandem valetudinis suæ accuratiorem rationem habeant. Exi-

guus profectò labor, & parvi admodum sumptus ad Salis Communis sive Culinarii mundationem requiruntur, ut à terrestribus suis fecibus liberetur, & clarus, pellucidus, ac cubicâ figurâ ornatus in aquâ concresecat, & quidem sine ullius alius cuius peregrinæ rei additione per solam solutionem, filtrationem, & proprii sui spiritus coagulationem.

Si his operationibus salem ad summam puritatem deduxeris, audacter asseras licet, quod tale sale potitus sis, qualem ab initio in mundâ aquâ purus sol operatus est. Quando sol in summitate Firmamenti constitutus libenter admodum suo officio fungeretur, impeditus tamen crassis & turbidis nubibus, inter ipsum & Terram se interponentibus, quo minus suorum radiorum cuncta calefacientium nos participes reddat, non est, quod querelis nostris in ipsum culpam conferamus, utpote qui in culpâ non est, sed potius densæ illæ, & crassæ nubes, quæ nobis splendorem & efficaciam ipsius eripiunt.

Sic etiam cum sale comparatum est, qui libenter quoque munus suum sibi à Creatore Omnipotentissimo impositum obiret, nisi à terrestribus suis fecibus impediretur. Idcirco impedimentum hoc non sali, sed fecibus intervenientibus, quæ viribus illis tam salutaribus remoram obijciunt, acceptum est ferendum. Si æquè in potestate nostra situm esset pro arbitrio nostro nubes istas crassas à sole remove, ac penes nos est

est pro lubitu feces terrestres à sale sejungere, summam profectò operam daremus, ut singulis annis æstatem nobis commodam efficeremus, quod tamen fieri non potest, cum Deus summus ille Paterfamiliàs soli suæ potestati hoc reservaverit.

Quod ad Salispetræ Signaturam attinet, ea certè admodum inæqualis est, ob summam hujus Salis diversitatem; inde orientem, quod aut probè aut malè purgatus vel pluribus vel paucioribus fecibus, sive peregrinis Salibus inquinatur. Vulgaris ille, qui ad Pulveris Pyrii confectionem requiritur, nunquam perfectè purus, sed aliis Salibus semper mixtus est, qui ut consueto & vulgari modo per Solutionem & coagulationem perfectè ab eo separentur, fieri nunquam potest. Hinc etiam nullum invenies Salempetræ, qui veram & genuinam Signaturam, quam Deus & Natura ipsi dedit, habere queat.

Quocunque enim studio & labore vulgari salpetræ ex stabulis bestiarum erutus per solutionem & Coagulationem purgetur, impossibile tamen est, ut munditiem suam debitam, & Signaturam veram consequatur. Ea tamen ut acquiri possit, sequentis Operationis auxilio quis utatur oportet.

Primò sumendæ sunt aliquot libræ Salispetræ, quæ per Solutionem & Coagulationem purgandæ sunt, & quidem toties iteratam, donec eam
acqui-

acquirant puritatem, quam admittere per vulgarem hanc operationem Sal iste solet. Ita mundatus in duas partes æquales dividendus est, ac altera earum miscenda terræ figulinæ albæ, ex qua globuli formandi, in Sole exsiccandi, & retortæ vitreæ probe luto munitæ, aut alii terreæ nullos emittenti spiritus immittendi sunt, ut purus Nitri Spiritus per destillationem eliciatur, & vitro capaci aquam, quam libenter ingreditur, continente, & retortæ adjuncto excipiat. Altera verò Salispetræ mundati pars catino, seu crucibulo immissa per injectionem carbonum ligneorum, aut Tartari, vel Reguli Antimonii stellati figenda, in igneum Salem redigenda, aquâ pluviâ solvenda, & per chartam emporeticam, aut filtrum transmittenda est. Fixi hujus Liquoris Nitri guttatim tantum affundendum est Spiritui Nitri destillato, quantum ad eum figendum sufficit. Operatio hæc summum excitat strepitum, cujus cessatio affusione cessandum esse monet, & indicat, quod duæ hæ Naturæ contrariæ, Spiritus nimirum acidus, & Liquor Nitri fixus mutuâ cæde corruerint, & Spiritus corrosivus corrosivam suam naturam, Fixus vero, & Igneus Liquor suam igneam qualitatem amiserit, utroque ad pristinam Salispetræ naturam redeunte. Ex hoc Liquore cum vitro arenæ imposito tamdiu per destillationem inutile Phlegma eliciendum est, donec cuticula in superficie se conspiciendam exhibeat.

Refri-

Refrigeratâ arenâ vitrum eximendum, & in frigidum locum reponendum est, ut unâ nocte Crytalli oblongæ & acutæ concrecant, effusione reliqui liquoris liberandæ, qui repetitâ priorè operatione reliquo Phlegmate per destillationem in arenâ liberandus, & rursus frigori exponendus est, ut suas Crystallos reddat. Quicquid post utramque operationem superfuerit, in arenâ per evaporationem, donec cuticula appareat, rursus destillandum, & in frigore in Crystallos redigendum est, quæ, ut vulgaris Salpetræ, in usum adhiberi possunt. Duarum primarum Operationum Crytalli conjunctæ adhuc semel aquâ pluvîâ solvendæ, filtrandæ, & per evaporationem Phlegmatis in novas Crystallos redigendæ sunt, quæ instar nivis albissimæ in longitudinem tenuem, sexangulam, & ad eò æqualem se extendent, ac si dolabrâ dolatæ essent; quippe ne minimam quidem in superficie scabritiem aut asperitatem ostendunt, sed veram & naturalem Salispetræ Signaturam exhibent. Si salem hunc ad majorem puritatem deducendi cupiditas aliquem incesserit, poterit is eum ita mundatum rursus in duas partes partiri, & ex altera Spiritum corrosivum per destillationem evocare, alteramque per carbones figere, utrosque per commixtionem & confusionem necare, atque itâ repetitis illis, quas modo docuimus, operationibus longè puriorem Salem petræ parare, admirandis tam in Medicina quàm

Alchi-

Alchimiâ operationibus efficiendis aptissimum & utilissimum, ut passim ex meis Scriptis liquet. Si rectè operatus fueris, omnes Crystalli, nullis exceptis, erunt in longitudinem æqualem directæ, & sexangulæ, sine ullâ asperitate & scabritie, quæ vera & genuina Salispetræ recta & probè purgati Signatura existit.

NB. Fixus Liquor Nitri per longum tempus in aëre relictus, & postea usque ad cuticulam evaporatus in Crystallos concrescit parvas, stellarum effigiem repræsentantes, quarum figurarum rotunditate apparet adeò concinnè ordinatâ, ut radii illi sex, medio ex corpusculo exeuntes, in æqualem distantiam & longitudinem quam exactissimè circino distributi & dispositi fuisse videantur. Admirandum profectò, & stupendum Naturæ opus, atque Signatura priori longè dissimilis, utpote quæ sexangula quidem, sed circulari ambitu comprehenditur, cum altera etiam sexangula in longitudinem directam, & acutam se extendat. Quæ hîc de vera Salis Communis ac Salispetræ Signaturâ tradidimus, ea quoque intelligenda sunt de Signatura cœterorum Salium, qui ab omnibus suis fecibus & sordibus liberari volunt, si veram suam Signaturam ostendere debent.

Vitriolum & Alumen, quæ semper in nodosam, & inæqualem figuram concrescunt, postquam sordes suas deposuerunt, claras & pellucidas

das exhibent Cryſtallos, longè tamen pulchrior-
res, ſi aliquot operationibus purgata fuerint. Imò
ad ſummam puritatem redacta inſtar Salis Com-
munis cubicam induunt figuram, elegantia ta-
men, pulchritudine, & concinnitate illius figuræ
cedentem. Hinc patet, Naturam ad ſuos fœtus
decorandos & exornandos promptiſſimam eſſe,
ſi modo auxiliaris manus ipſi ab Arte præbea-
tur.

Antequam huic de Salium Natura Tractatui
Colophonem imponam, conſultum mihi videtur
indicare, quibus dignitatis gradibus dua iſto Vo-
cabula S O L & S A L à ſe invicem diſtent, & di-
ſtinguantur.

Vocabulum S O L binos circulos, & dimi-
diam Quadrati partem continet. O. totus eſt cir-
culus; S. duos habet ſemicirculos, qui conjuncti
integrum efficiunt circulum; Hic in medio ſectus,
& dimidiam ſectionis partem ſuperius verſus dex-
tram, & alteram inferius verſus ſiniſtram vertens
duos dabit ſemicirculos literam S. efficientes: L.
dimidia Quadrati pars eſt.

Vocabulum S A L unum tantum circulum ex-
hibet literâ S. ex duobus ſemicirculis conſtante:
Quadratum item unum in literis A & L conſpi-
cuum, quod indicio eſt, bonum in Sale tempera-
mentum eſſe partim ex Elementis cœteris, partim
ex terrâ combinatum. Sol puritate Sale longiſ-
ſimè ſuperat, non tamen abſolutè perfectus, quod
litera

litera L. Quadrati dimidia pars innuit. Absoluta autem & perfectâ puritate præditus esse nequit, nec etiam est, ut demonstrent Telescopia illa hodierna, quorum ope Solares illæ maculæ his temporibus observantur. Nec etiam absolutam illam perfectionem habere debet, quæ unius & Solius est Dei, & non ullius Creaturæ, in quarum numero Sol etiam existit. Eum tamen inter omnes Creaturas purissimum esse, nemo est, qui inficiari audeat. Hinc factum est, ut Soli Divinus honor sit exhibitus ab Ethnicis ignorantibus, præter creatum, adhuc alium æternum & increatum Solem esse. Hic est ipse Deus Omnipotens Elementaris & lucentis Solis, qui secundum Christi verba in fine Mundi etiam peribit, Creator. Pari ratione Sal duplex est; Æternus nimirum, Divinus, & Cœlestis, unus, atque alter Terrestris, & caducus. Et ut ex Æternâ Luce, & Divino, atque Cœlesti Sale Spiritus Sanctus exivit ad calefaciendum, & illuminandum corda tenebris obruta, & animas hominum contra dolos, fallacias, & cædes Satanæ defendendum: Ita etiam ex Elementari Sole sive Igne & Terrestri Sale prodit nobilissimus ille Spiritus Salinus, ut corpora humana roboret, contra varios morbos defendat, & in valetudine bonâ conservet. Itaque est Æternus & Divinus Sol, Cœlestis Sal, & Spiritus Sanctus: Est item Elementaris, & caducus Sol, Sal, & Spiritus. Nostri autem est muneris, ut Æternum Solem

Solem amemus, laudemus, honoremus, & adoremus, atque eidem animæ nostræ salutem commendemus. Temporalibus verò & caducis rebus summa cum gratiarum actione ad necessitatem nostram utamur, & fruamur.

BERNARDINI GOMESII

Explicatio vocabuli ἅλς sive Salis.

SEd antequàm ad divinos hujusmodi locos enodandos accedamus, divino Numine, & gratia Spiritus, quem unicè invocamus, refundi nos oportet. Ut quod nulla augurali sub faba, & divinatione prænosci potest; divino tandem afflatu, ac instinctu duce, non aberrantes, exponamus. Cùm in tanta, adeoque ineffabili divinorum tractatione, si fortè (quod absit) erraverimus, nulla nobis venia; sin autem rempiè, feliciterque prosequuti fuerimus, soli Deo, atque summo Salis datori Christo gratia & universa laus sit tribuenda.

De primo igitur ostendendum, quis sit cœlestis Sal, quonamve pacto à terrestri, de quo egit Christus in Evangelio, distinguatur. Ac quoniam Evangelica Christi verba magnam nobis ad dicendum de ipso vim addunt: haud inconcinnum fore arbitramur, si Christum, qui ut Apostolos majores nostros perinsigni titulo de-

C

cora-

coraret , vocavit Salem terræ : nos ipsum ,
summum , atque intemeratum Salem cœli ap-
pellemus . Vix enim est ex tam multis inferioris naturæ comparatis , quod ad divinam adumbrandam , vim , ac efficientiam Salis hac in parte præcurrat . Est namque Christus , ipsiusque beatissima humanitas , unicum cœlesti beatorum mensæ appositum salillum . In quo Sal est plenitudo ipsius Divinitatis infinitæ , inexhaustæ , atque interminatæ : quæ & cœlum , & terram cum omnibus , quæ in eis sunt , tum infinitè redundans implet ; tum rursus condicens sese ad captum nostrum , universis etiam suavissimè degustanda exhibetur . Ab ea quippe , cuncta , quæ ubique sunt , & quæ fuere unquam , atque ullo post tempore erunt ; & suum ipsa esse , & quòd perfecta sint , & sine qua nulla essent , pro optimo , divinoque sui condimento , atque ut conditori saperent , acceperunt .

Hanc itaque Divinitatem , unam & eandem tribus communicatam Personis , Sal suo , quo in una syllaba constat trium literarum nomine , tam Græcè quam Latinè , quodammodò exprimere , seu potius adumbrare conatur . Nam licet Chaldaicis , Hæbraicisque in literis præcipuè (quòd iis loquutus sit Deus) sacra inclusa sunt , atque divinitus impressa Mysteria : non tamen his omnino vacant elementa linguarum , præsertim

præfertim Græca, quæ ab illis & derivata fuere, & constructæ ex his voces, rebus, non pro arbitrio, sed ab earum proprietate, ut Platoni Græcorum maximo placuit, impositæ. Siquidem infinitatem, atque immensitatem divinam, Græcis literis expressam, & explicatam fuisse, *Apocal. 1.* ostenditur; ubi Joannes Christum dominum de seipso prædicantem vidit, audivitque. *Ego sum α. & ω. Principium & finis.* Nam quemadmodum Sol dum levia & perspicua luce suâ attingit; ab his protinus redditur ipsius imago & splendor; ita cœlestis, atque infinita divinitas, cuncta bonitate sua quasi splendore perfundens, non modò rebus ipsis, verùm etiam & literis, quibus res elucescunt, ac perspicuæ fiunt, impressum sui vestigium relinquit: quale in Sale quidem Græcis designato notis inesse reperimus. Nam quod Latinè Sal, id ipsum Græcè, αλς dicitur: iisdem ipsis utrobique literis, licet commutato ordine, expressum, atque cum tres illæ sint una tantum syllaba, prolatum. Sed Græca vox utrumque exprimit apertius.

Est enim prima ejus nota α. quæ ab infinita rotunditate, duobus veluti cornubus, in consequentes literas produci videtur. Quæ nota cum Sacrosancta, divinaque illa Triade collata, primam ejus Personam, immensi scilicet Patris, designat. Qui tum, αλφα, utpote principium

pium est seipso infinitum ; tum idem duabus ex se productionibus, aliis divinis Personis naturam suam effundit, atque infinitè communicat : quarum alterâ, videlicet generatione, Filium ; alterâ verò, nempe spiratione, unâ cum Filio, Spiritum Sanctum producit. Quin & ut ipsummet α . ostendit, æternam illam, infinitam, atque interminatam ejusdem summi Patris potentiam divina quædam ipsius operatio consequuta est, qua idem ex tempore, ab omnipotenti infinitate sua, sese ad universa procreandum effudit. Ut-pote dum etiam duobus cornubus, benedictionibus inquam, altera, creatione rerum ; altera verò earundem conservatione ; & per omnipotentis Filii sapientiam, & per sacri Pneumatis bonitatem, creaturis omnibus esse imperitur.

At, quæ media sequitur λ . nota est suavitate plena : quæ tum ore rotundo, & ad hilaritatem composito profertur ; tum figura ipsa non admodum est vero circino dissimilis. Nam à superiore angulo duo deorsum tendentia latera trianguli figuram, absque basi tamen, sine termino, videntur efficere, ut ipsamet litera exprimit. Quæ rursus nota ad illam eandem Triadem relata, secundam ejus personam, Filium scilicet, suavissimo Patris ore prolatum verbum repræsentat. In quo duæ æternæ, ut vocant, relationes, quasi duo infinita latera, reperiuntur :

riuntur : altera, quâ ad Patrem, à quo æterna sui generatione procedit ; altera, quâ in Spiritum Sanctum, quem unâ cum Patre spirat, æterna, & infinita habitudine, sineque ulla intermissione refertur.

Sed neque eidem notæ λ. æterno inquam, Dei Filio, mediatori Dei, & hominum Christo, sua etiam beneficentissima in tempore actio defuit : Ut qui divinitatem & humanitatem complectens, lapisque angularis ipse factus ; utrumque parietem, Israëliticum videlicet populum cum Gentili, quasi duo latera connexuit. Unde tam munitum, adeoque tutum utrique in seipso condidit asylum, ut confugientes, mortiferam perpetuæ damnationis sententiam evaderent.

Demum hoc ipsum monosyllabum ς. concludit. Hæc quippe nota sinuosa quadam, atque circumflexa hinc inde ducta linea designatur. Quæ à duabus extremitatibus in sui medium progressa, duos distinctos, quasi semicirculos designat ; è quibus duci ipsa, atque constitui ostenditur. Quod lineamentum cum illa ipsa triade comparatum, tertiam divinam personam, nempe Spiritum Sanctum adumbrat. Is namque Spiritus ab utriusque, Patris scilicet, Filiique sinu, unica, eademque spiratione procedens, duas distinctas personas illas, quibus & coæqualis, & coæternus est, sic infinito amoris sui nexu connectit,

C 3

ut

ut ipse distincta persona manens, unà cum illis, in simplicissima, individua, atque immensa natura conveniat.

Verùm enim verò ut aliis personis ; ita & Sacrosancto Spiritui sua ex tempore communicatio attribuenda est : quæ mirè exprimitur per ejusdem literæ s. ductum : si tamen inferam ejus extremitatem, quæ ab anterioribus monosyllabi literis quasi oriri videtur, consideremus. Nempe quoniam illa pacto, quo ad nos, primò in dexteram porrigatur : deinde à dextera in lævam, sinuoso ductu paululum ascendendo contorqueatur : atque inde tandem, simili sequente obliquitate, rursus in dexteram desinat. Etenim sacer idem ipse Spiritus ab æternis illis, ac infinitis duabus personis, quasi ab immenso infinitatis fonte progressus, dum in tempore dona sua mundo communicat, ea primùm in dexteram, hoc est in corda hominum, ad eos divino legis naturæ lumine illustrandos, & imbuendos effudit. Deinde eodem ipso remanente lumine, quasi à dextera in lævam paululum ascendendo deflectens, Mosaicam legem digito Dei, hoc est, se dictante, scriptam, Israëlitis protulit. Postremò relictâ Mosaicæ legis lævâ, in dexteram revolutus, Evangelicam legem à Christo Salvatore latam suo sapientissimo, amantissimoque gratiæ Sale condit.

Ex quibus, quod ad rem pertinet, apparet tres
illas

illas Salis literas unam constituentes syllabam : ac rursus hanc ipsam eisdem illis tribus explicatam , indicasse nobis , in Sale esse impressum vestigium aliquod illius Sacrosanctæ , atque individuae Triadis, quam in monade peræque, ac monadem in Triade veneramur.

Quam quidem Triadem, ut infinitam , atque æternam , ac ineffabilem rem quandam , ignotam ferè , & incomprehensam habuissimus ; & quasi remotissimum Salem , nullo unquam humano , angelicove antea deportatum salino, intactum reliquissimus ; nisi tandem divina ejusce Triadis Personam Verbum , divinitatem tantam in assumpta à se humanitate tanquam in salino Salem , nobis degustandam obtulisset. Namque hoc ipsum salinum , tum figura , & æterno splendore Patris cælatum ; tum vermiculatis passionis suæ notis compunctum , & illustratum ; atque sanctissima etiam Sacri Spiritus unctione decoratum , cœlesti beatorum mensæ semper est appositum ; ad ipsorum escam solemnesque epulas , æterno , atque ineffabili modo condiendas. Utpote cum in eo prorsus reconditi sint divini omnes, suavissimique æternæ sapientiæ sapes, & gustatus excellentissimi. Est enim ipsemet Christus, cœlestis , opulentissimique convivii non modo conditor sapientissimus ; sed ipsummet etiam condimentum , atque condita res , & esca , quæ apponitur. Per ipsum enim cœlestis

cœlestis ejus Pater Rex Regum , ac dominus dominantium magnificentissimus , qui nos ex sua bonitate , atque ut bona sua amat , universo creaturarum populo amplissimum Salis congiarium , hoc est , suæ præstantissimæ gratiæ auxilium ad se inquirendum , cœlestiaque appetendum , dat liberalissimè. Sanè , ut qui ad cœleste epulum sunt vocati , congiario illo se ad hoc veniendum , in eoque felicissimè accumbendum præparent : si vero ut fatui venire renuerint , sublato ab eis congiario , sempiternâ pœnâ mulctentur. Qua in re non aliter se utrique habere videntur , quàm carnes cum ossibus , quæ simul in ollam cum aqua , & Sale ad ignem decoquenda immittuntur : atque illa post ad mensam apponuntur. Ex quibus ossa , cum neque Sale condiri , neque aqua emolliri possint , infra mensam statim canibus comminuenda projiciuntur : carnes autem quia teneritatem ex calore , & aqua , condimentum verò à Sale acceperunt , puriore mensæ Sale denuo conspersæ , summa cum voluptate eduntur. Sunt enim ut ossa carnibus , sic etiam bonis permixti mali. Quorum hi , cum neque divinum gratiæ Salem regustare , neque lustrali aquâ dilui , ac emolliri , neque cœlestis verbi calore accendi ad res divinas voluerint ; severissimo magni prægustatoris atque mensæ præfecti Christi judicio , igni , vel cruciatibus reservantur convellendi.

vellendi. Quos ille, præ duritie, obstinatos, præque indignitate fatuos, insulsissimos, cælestique mensa indignissimos inveniens, de medio justorum divellit, atque in profundum barathrum, rapacissimis Inferni canibus perpetuo conterendos, detrudit.

At verò boni, qui non solum priore, sed posteriore etiam Sale, divina inquam, antecedenti (ut nostri ajunt) & consequenti gratia conditi fuere; ac non modo virtutibus ornari, sed ardentibus cruciamentorum hujus vitæ undis se extergi, exurique pro Christo passi sunt: hos tanquam perdignas mensâ carnes idem prægustator offerens Deo Patri, novo gloriæ Sale perfundit: ac licet advenas & peregrinos, inter angelicos & cælestes cives simul discumbere; & peræqua cum his donari beatitudine & mansione jubet. Quamvis tamen vario promerendi cursu ad unam illam & eandem felicitatem utrique perveniant. Nam ex quo superni illi cives angelici, ab ipso rerum exordio, & cum primum eis contigit plena optio, cælestes venturi Christi cœnas meridianis insolentissimi Luciferi prandiis prætulerunt; oppiparas quidem illas, atque, ut vocant, saliares, cum suavissimo gratiæ Sale conditas, cum splendidissimo gloriæ lumine collustratas, consequi meruerunt. At vero terrarum incolæ, ac cœlorum advenæ homines tam gravi mole corporis oppressi, densissi-

misque toti ignorantiae tenebris obvoluti ; tam longum iter ad patriam longe tardiore gressu confecerunt. Non enim his sub ipso ingressu vitae, perinde atque illis, sub ipso creationis termino consecuto momento, universa totaque simul meriti occasio sese arripienda obtulit. Sed ipsos hanc potius, continua, diutinaque vitae periodo, usque ad ejus exitum, studiosissimè, laboriosissimèque captare oportet : praterquam quod tam arduum, adeoque asperum, atque mille præcipitiis expositum iter ad patriam, tam magnas ubique peregrinis curas afferat, in tam graves sæpe animi angores, ac sollicitudines eos inducat ; ut plane, non tam humani laboris seu conatus, quam divini Numinis sit, peregrinos aut non deficere in via, aut non à vero quandoque scopo, seu viæ termino aberrare. Quod passim utique omnibus contingeret ; nisi constitutus à divino Senatu totius orbis parochus Christus, qui ubivis peregrinis suis Salem, & ligna præbet, ipsos tum reficeret, ac recrearet, tum in viam, quæ nos ad eandem cœlestem patriam dirigit, reduceret.

Hæc de Salis, Metallorum & Planetarum Signaturâ hâc vice sufficiant. Qui diligenter ea perpenderit, Naturæ penetralia satis profunde intrabit. Si vitam mihi Benignissimus Deus prorogaverit, tractatum quoque de Vegetabilium,
Anima-

Animalium , & Mineralium Signaturis in Lucem edere constitui , in quo multa pulchra , & cujuscunque conditionis hominibus utilia occurrerent.

O Æterne, Omnipotens, Benigne, & Misericors Deus Pater , Ignis , Lux , & Sol Justitiæ , illumina & calefac omnia hominum torpore somnolento obruta , tenebris densissimis oppleta , & frigore horrendo rigida corda , ut te videant, agnoscant, ament, & timeant, tibi-que pro omnibus beneficiis acceptis debitas laudes , & serias gratias exhibeant , atque ità tandem expergefacti visum suum amissum recipiant.

O Æternum Verbum Dei , suavissime , saluberrime , & sapidissime Sal Cœlestis Jesu Christe , recrea , & refice nostras ægerrimas & miserrimas animas Divinâ tuâ virtute & efficacîâ , ut nobis corroboratis nec Mors nec Diabolus nocumento esse queant.

O Sancte Spiritus , unice ad Veritatem ductor , qui ex Divino & Æterno Igne , & Cœlesti Sale prodiisti , consolare omnes tristes , & in hâc venenatâ palude , & miseriarum valle inter voraces lupos errantes & desertas oviculas , ipsasque corrobora , ut crucem suam patienter ferant : tandem ac tandem ipsas separa ab hircis fœtentibus , & deduc ad electos
omnes

omnes in viridia illa & cœlestia pascua, ut ibi
 Æternum Lumen indefinenter aspiciant, Cœle-
 stem Salem gustent, ac æternæ pacis, gratiæ &
 misericordiæ plenitudine in æternum fruantur,
 A M E N.

F I N I S.

